

## **1 - Scipione l'Africano costringe Annibale a lasciare l'Italia (Eutropio)**

Anno decimo quarto postquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa in Hispania bene egerat, consul est factus; senatui statim visum est eum in Africam mittere.

Cui viro divinum quidam inesse existimabatur, adeo, ut iuvenis dux etiam cum numinibus habere sermonem putaretur. Is in Africa contra Hannonem, ducem Afrorum, pugnans, exercitum eius profligatum atque in fugam versum funditus delevit atque concidit.

Secundo proelio castra cepit cum quattuor milibus et quingentis militibus, undecim milibus occisis. Syphacem, Numidarum regem, qui auxilii causa venerat et Afris se coniunxerat, capit atque castra eius invadit.

Syphax cum nobilissimis Numidis infinitis spoliis Romam ab Scipione mittitur. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem deserit. Ipse a Carthaginenses redire in Africam iussus est, quam Scipio vastabat. Ita anno septimo decimo ab Hannibale Italia liberata est. Paucis diebus interiectis, legati Carthaginensium pacem a Scipione petiverunt.

## **2 - Lavinia e Turno**

Cum nondum in Italiam Aeneas classem appulerat cum Troianis ex Asia profugis, in Latio regnabat rex Latinus, qui in matrimonium duxerat Amatam et filiam eximia formae genuerat.

Filiae nomen Lavinia fuit. Ubi puella adolevit, filiam suam regina Turno, Rutulorum regi, despondit et tempus sollemnium nuptiarum constituit. Tunc in Latium venit cum nuptialibus muneribus Turnus ad regem Latinum et ad nuptias constitutas. Sed, quia diis immortalibus gratae non erant nuptiae, repentino portento matrimonium Laviniae et Turni perturbaverunt et impediverunt.

Nam flammae comas longas et coronam gemmatam virginis repente accenderunt neque tamen puellam laeserunt. Quia portentum animos parentum et Turni magnopere turbaverat, Latinus in proximam silvam

processit, ubi erat sollemne altare, et deos de nuptiis interruptis consuluit.

Dii claris verbis voluntatem suam patri ostenderunt et sic per haruspicem responderunt: «Filia tua, Latine rex, uxor advenae erit». Paulo postea Aeneas ad oras Latinas classem appulit et Laviniam uxorem duxit. Tantam iniuriam tamen aequo animo non toleravit Turnus et bellum Latino et Aeneae commovit.

### **3 - I doveri degli anziani sono differenti da quelli dei giovani**

Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur aliaque sunt iuvenum, alia seniorum, aliquid etiam de hac distinctione dicendum est.

Est igitur adulescentis maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur; ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria.

Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae, quod erit facilius, si in eiusmodi quidem rebus maiores natu nolent interesse. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur, danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent.

Nihil autem magis cavendum est senectuti quam ne languori se desidiaequae dedat; luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem etiam libidinum intemperantia accessit, duplex malum est, quod et ipsa senectus dedecus concipit et facit adulescentium impudentiorem intemperantiam. **(Cicerone)**

## 4 - Cesare aiuta i Galli (Cesare)

His rebus cognitis Caesar Gallorum animos verbis confirmavit pollicitusque est sibi eam rem curae futuram; magnam se habere spem et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum finem iniuriis facturum.

Hac oratione habita, concilium dimisit. Et secundum ea multae res eum hortabantur quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret, in primis quod Haeduos, fratres consanguineosque saepe numero a senatu appellatos, in servitute atque [in] ditione videbat Germanorum teneri eorumque obsides esse apud Ariovistum ac Sequanos intellegebat; quod in tanto imperio populi Romani turpissimum sibi et rei publicae esse arbitrabatur.

Paulatim autem Germanos consuescere Rhenum transire et in Galliam magnam eorum multitudinem venire populo Romano periculosum videbat, neque sibi homines feros ac barbaros temperaturos existimabat quin, cum omnem Galliam occupavissent, ut ante Cimbri Teutonique fecissent, in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent [, praesertim cum Sequanos a provincia nostra Rhodanus divideret];

quibus rebus quam maturime occurrendum putabat.

## 5 - Cassandra profetessa di sciagure

Dum Graeci urbem Troiam obsident, Cassandra, regis Priami filia, cum vates Apollonis esset, saepe suis civibus futuram cladem et perniciem eorum urbis praedixit.

Attamen nullam fidem eius verbis praestiterunt Troiani quia semper firmam victoriae spem servabant. Tandem Graeci, cum per viginti (venti) annos in planitie ante Troiae moenia conflixissent, arcem urbis occupaverunt. Tum veridica virginis Cassandrae apparuerunt verba. Nam hostes urbem et eius aedificia ferro gnique vastaverunt, templa deorum expilaverunt, defensores horribili caede necaverunt, Cassandram et multas Troianorum mulieres in Graeciam captivas deportaverunt ut victoribus servirent

Germani, post tergum clamore audito, cum suos interfici vidērent, armis abiectis signisque militaribus relictis, celeriter e castris egressi sunt. Cum ad Rhenum pervenissent; Romanis acriter insequentibus, se in flumen praecipitavere atque ibi timore, lassitudine, vi fluminis oppressi, mortui sunt. Milites nostri, per paucis vulneratis, omnes incolumes in castra se recepērunt. Caesar Germanis, quos retinuerat, digrediendi potestatem dedit. Illi autem supplicia cruciatusque Gallorum veriti, quorum agros populati erant, discedere recusarunt et apud eum manserunt. His Caesar libertatem concessit.

Doveri dei giovani e dei vecchi

Quoniam non eadem officia omnibus aetatibus tribuenda sunt, sed alia sunt officia iuvenum, alia seniorum, pauca nobis de hac distinctione dicenda sunt. Adulescentibus senes maxime verendi sunt atque ex iis deligendi sunt optimi, quorum consilio et auctoritate iuvenes nitantur; nam inscitia iuvenum regenda erit senibus, qui longa aetate magnum omnium rerum usum (pratica) adepti sunt. Praeterea haec prima aetas a libidinibus arcenda est et exercenda in laboribus et animi et corporis. Atque etiam cum animos relaxabunt et dabunt se iucunditati, maxima temperantiam iuvenibus utendum erit, ut verecundia servetur.

Senibus autem labores corporis minuendi sunt; animi exercitationes contra sunt etiam augendae; iis enim non solum amici, sed iuvenes et maxime res publica consilio et prudentia adiuvanda est.

## 5 - Furio Camillo

Dictator contra Veientanos, qui rebellaverant, a senatu missus est Furius Camillus. Is primum Veientanos in acie vicit, deinde etiam eorum civitatem cepit. Veis captis, cepit etiam Faliscos, non minus nobilem civitatem. Sed contra Camillum commota est acris invidia, quod praedam iniuste diviserat et, ob eam causam damnatus, civitate expulsus est. Postea Galli Senones ad Urbem accesserunt et, Romanorum exercitu apud flumen Alliam profligato, Romam occupaverunt praeter Capitolium. Tum Camillus, qui in vicina civitate exulabat, civibus suis auxilium tulit et, Gallis devictis, Romam liberavit atque in patriam victor rediit.

## 6 - I Galli occupano Roma

Galli Senones Alpes superaverunt et feraces Italiae regiones ferro ignique vastaverunt; mox apud Alliam flumem Romanorum agmina fuderunt atque in fugam verterunt. Romani sinistri cornus Veios perterriti confugerunt; pauci dexteri cornus cladis nuntii Romam pervenerunt. Solis occasu Galli ad Urbem contenderunt et castra inter Romanorum et Anienem flumen posuerunt. Ad nuntium tantae cladis ingens trepidatio Romanorum animos invasit. Cives imminentem hostium impetum timebant; e Gallorum castris ululatus et feros cantus audiebant, mentesque terrificos aspectus effigebant. Romani exercitum iam non habebant: ideo ne urbem quidem defenderunt. Senatus iussu et magistratum hortatu homines idonei ad arma in Capitolii arcem confugerunt, mulieres et senes in propinquis urbibus salutem invenerunt. ~~M~~ulieres domos inter fletus relinquebant, viae ac semitae miserabilibus ploribus et questibus personabant. Postridie, prima luce, Galli urbem occupaverunt domosque incenderunt atque diruerunt.